

ferus, l. c. p. 200. in clara litera Josephi manere non dubitant, quando ille de *Bello jud.* cap. VI. dicit, quod Sadducæi Deum extra omnem mali - - inspectionem constituent, quem in finem etiam Abrahæ Zacut in *Juchasin* p. 139. & Anton. Giggeus in *The Arab.* p. 135. à Pfeiffero allegantur. Eodem modo Josephum intelligit B. Calovius *Bibl. ill.* ad *Matth.* III, 7, licet ad C. XXII Grotium absq; nota dimittat. Porro Josephus de tribus illis Sectis fusius agit *Antiq. lib.* XIX. cap. 2, referens: Phariseos immortalitatem animarum credere, quarum quædam, impiorum scil., æternis carceribus mancipentur, piorum v. in hanc vitam redeant, quem ultimum errorem μετεψύχωσι vocant, hodiernum incrustatū (vid. *Obs. Hall. Tom.* V. *obs.* 13. §. 39) à Novatoribus, & ad illum respici videtur *Matth.* XIV, 2. *Cap.* XVI, 14. *Conf.* Pfeiff. ex *Hackspanio* p. 188. Addis Josephus, Phariseos tunc temporis in tanto apud populum fuisse æstimo, ut non solum usitatae preces & cultus divinus juxta explicationem opinionemque eorum peracta fuerint, sed & ipsi Sadducæi in administrandis, quæ gerebant, officiis sententiæ Phariseorum semet conformare necesse habuerint, ad retinendam populi gratiam. *Conf.* de autoritate *Phariseorum Lib.* XVI, cap. 3, *Lib.* XIII. 23, 24, licet illi temporis progressu ludicris ob manifestatam stultitiam hypocriticam insigniti sint nominibus, quorum septem fuisse ex *lib. Sota fol.* 22. refert eademque explicat *Buxtorf. in Lex Chald. Talmud.* sub voce פֶּרִישִׁי, & ad *Drusium* lectorem remittit. De Sadducæis autem l. c. L. 18, c. 2. refert Josephus, quod statuant, animas una cum corpore interire. Pertinet huc, quod *Matth.* XXII. 25. *Act.* XXIII, 8. recensetur, Sadduceos dicere, non esse resurrectionem, ob negatam animæ permanentiam, licet non statuerint animam esse meram κρᾶσι sive temperamentum quoddam humorum, prout existimat *Scultetus* apud *Polum.* ad l. c. *Actorum.* Coniungitur in loco isto Actorū cum priori ille Sadducæorum error, quod Angelos, scilicet tanquam substantias spirituales à DEO diversas, & generatim Spiritus non dari crediderint, unde procul dubio clara Scripturæ loca de Angelis agentia perversa explicatione torserunt. Ut a. ad Josephum revertamur, is loco ultimo adducto mentionem quoque facit Sectæ *Judam Galileum* secutæ, quæ de etiam aliquid scriptum